

SACRA ROMANA ROTA

Nullitatis matrimonii ab exclusum bonum sacramenti

(Coram LUCIANO ANNE)

A) PARISIEN

I.—SPECIES FACTI

1. D.nus Joannes Dupont, actor, natus die 2 januarii 1877, clam baptizatus, nullam ob patris in religione aversitatem religiosam recepit educationem. Anno 1902, in urbe algeriensi v. d. Mascara, Anna María González, partem conventam, obviam habuit atque, amore captus, ei mox matrimonium contrahendum proposuit.

Patre, quidem, obstante atque obiiciente futurum coniugium ob indolum diversitatem infelicem fore, cum ea matrimonium celebravit die 27 octobris eiusdem anni in ecclesia paroeciali praefatae civitatis. Ex quo coniugio tres filii nati sunt. Primo omnium gentium bello anno 1914 erupto, Joannes, stipendia merens, ab uxore exstitit separatus usque ad annum 1919. At, pace inter gentes conciliata, vitam conjugalem resumere detrectavit. Die 17 novembris 1920 divortii sententia contra eum lata est. Interim concubinarie, uti videtur, cum alia muliere conviverat, qua derelicta, anno 1932 civiliter se cum tertia junxit. Hac, demum, morbo exstincta, aliam, prius alii viro civiliter tantum, uti videtur, nuptam atque ab eodem separatam, nunc ducere intendens, die 16 februarii 1961, matrimonium suum nullitatis accusavit coram Tribunali Ecclesiastico Parisiensi ob exclusum bonum Sacramenti. Cum causa nullitatis dolosa, ex parte sui, minime demonstrata fuerit, obtinuit habitatem ad accusandum. Libello, ideoque admissio et causa rite instructa, prodiit die 1 iulii 1963 sententia actoris votis contraria. Appellatione ad N. S. T. rite interposita atque peracto instructionis supplemento, Nobis causa definienda est sub dubio sueta formula concordato; "*an constet de nullitate matrimonii, in casu*".

II.—IN JURE

2. Juris compertissimum est ex lege divina, per can. 1086, § 2 expressa, nullum esse matrimonium quod contrahitur cum exclusione boni sacramenti seu indissolubilitatis, absolute vel hypothetice, sive ea fit per conditionem vel pactum sive per positivum tantum voluntatis actum.

In multis regionibus atque in nonnullis civium coetibus sat late sparsa est doctrina matrimonii indissolubilitati contraria. Exinde, autem, minime